



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Difficultas II. Quæ ratio per alios Obstationis Dæmonum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

cacis, nullus locus. Addit tamen Arriaga n. 25. Licet omnino censeat demones non habere potentiam ad veram poenitentiam, non putat tamen id adeo certum esse. Tota in hoc difficultas est, quæ sit ratio illius impoenitentiae, obstinationis, &c. &c. Quod autem dicetur de Angelis, proportionatè dicendum de hominibus.

DIFFICULTAS II.

*Quæ ratio per alios Obsinationis
Dæmonum.*

RATIO adferri solet. Ob quam sint impotentes ad faciendam veram poenitentiam, quia scilicet negatur illis gratia etiam sufficiens in poenam peccatorum, & tamen sine tali gratia impossibile est poenitere. In sententia autem quæ dicit naturalem dolorem esse sufficientem, illa licet falsa sit, ad præsens accommodari non potest: quia dolor naturalis est per illos sufficiens, non nisi ad delenda venialia; quomodo autem delerentur in illis mortalia? Ulterius hæc ipsa ratio in hoc resolvitur solet, quod in illis non sit possibilis actus naturalis, simpliciter tamen bonus. In oppositum hoc est, quia damnati non amiserunt suam liberam potentiam, cur ergo ex libertate, non possent procedere ad talem actum, qui & ex objecto, & ex circumstantiis, sit omni ex parte bonus moraliter? Est quæ pro hac sententia Scotus. Basilius, Durand. Anglez. Pelbartus in Glossario, omnes apud Suar. l. 8. c. 8. Oppositum tamen sentiunt Patres apud eundem Suar. Fulgent. de Fide ad Petrum c. 3. *Omnes illi prævaricatores Angeli, nec mala possunt unquam voluntate carere, nec panis.* Similia habet Innoc. III. Prosper. Bern. Ignatius Martyr. Gregorius M. Fudatur quæ in illo loco Script. ad Gal. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Joan. 9. *Venit nox, in qua nemo potest operari.* Eccles. 9. *Neque opus, neque ratio, neque sapientia, neque scientia, erunt apud inferos.* Hæc ratio, quia defectum conversionis, in defectum gratiæ rejicit, ordinariè ab Auctoribus respicitur.

2. **RATIO** ex Vasq. est d. 241. c. 4. Cur damnati non possint habere actum simpliciter bonum moraliter, referentis hoc in id principium: quia non habent cogitationem congruam. Sed hoc principium non convincit: quia nomine principii congrui accipit Vasq. gratiam efficacem, quæ absolute loquendo non est quæ efficax, simpliciter necessaria ad agendum bene.

3. **RATIO** ex Molina est. Quia Deus denegat illis concursum generalem, ad quemcunque actum bonum moraliter.

IMPUGNANT I. Aliqui hanc sententiam ex eo, quia fieret perpetuum miraculum, aut violentia voluntati illorum.

RESPONDERI posset. Nec violentiam nec miraculum futurum: quia denegatio illius con-

curfus, est secundum exigentiam moralem, peccatorum præcedentium; quæ exigentiæ posita, nihil sit violente à Deo.

IMPUGNANT 2. Aliqui cum Suar. Quia est indignum bonitati divinæ, negare auxilium, eo animo, ut non fiat ullum opus bonum.

RESPONDERI posset. Negare tale auxilium independenter ab exigentibus hanc poenam peccatis, esset indignum Deo, secus illis exigentibus.

IMPUGNARI potest 3. Ratione, quam ex Suar. sic conficit Arriaga. Sequeretur multa opera mala facere Deum non solum permittendo, sed positivè concurrando. Nam permissio tunc tantum habet locum, quando datur auxilium sufficiens, & negatur efficax. In hac autem sententia, etiam sufficiens negatur: quia positivo & efficaci decreto, antecedenter vult, ne fiat opus bonum. Et licet ille actus non esset jam peccaminosus, quia nec liber: hoc ipsum tamen videtur esse indecens, ut Deus determinet ad actum in se malum.

RESPONDERI posset, phrasin hujus argumenti, nempe quod Deus concurrat positivè ad opera mala, nullum absurdum continere: quia ille concursus, est actio physica, quæ non est imaginabile, quod non sit positiva. Sed si argumentum procedat de voluntate positiva peccati, id quidem absurdum est; sed negatur esse positiva voluntas peccati, sed tantum permissiva, quia directè vult Deus præcisè non nisi poenam, & in poenam negationem talis concursus: hoc autem quod sequitur, non est secundum intentionem divinam: ad eum planè modum, quo sciens & hostes & cives inclusos in turri, jubet tamen quater Dux militiæ eandem, intendens occisionem hostium, cui conjungitur occisio civium: sic etiam in præsentem intendit Deus poenam, quidquid sit, quid postea sequatur.

Nihilominus videtur esse quædam indecentia defectum illum tam enormem ex objecto, qualis est non posse facere actum honestum moraliter, rejicere in ipsummet Deum statuentem denegare concursum.

4. **RATIO** est Aureoli apud Suar. c. 10. Obsinationem referentis in infusum illis habitum vitiosum in poenam peccati, determinantemque eos ad tales actiones.

5. **RATIO** est Gabrielis & Occhami, qui censent, infusum esse illis actuale odium Dei. *Proque hæc ratio*

NON SATIS FACIT. Quia videtur deedere Deum ut talia infundat, immo si nomine odii Dei veniat vitalis actus, impossibile erit illum infundi.

DIFFI.